Schedae criticae

ad

Vergilii Georgica.

Scripsit

O. Hanow.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nuperrime (in Mützelii ephem. XVII. p. 78 seq.) periculum feci emendandi loci Vergiliani, qui est in Georgicon libro primo. Nam quum versus 141 seq. ita scriberent editores, ut aut post „petens“ distinguerent:

atque alius latum funda jam verberat amnem
alta petens, pelagoque alius trahit umida lina;

aut in fine v. 141. post „amnem“, neutram interpungendi rationem posse probari ostendi locumque corruptum judicavi corrigendum esse hoc modo:

atque alius latum funda jam verberat amnem,
alta petens alius pelago trahit umida lina;

Eis quae fusius exposui l. l. occasione oblata addo, Aen. V. 508 „alta petere“ dici eum, qui sursum versus dirigat tela.

Hodie primum conabor alterum Georgicon locum corruptela laborantem sanare.

Lib. IV. versus 21 et 22 sic leguntur:

cum prima novi ducent exagmina reges
vere suo, ludetque favis emissa juventus, . . .

De apibus sermo est, quas vere a regibus educi ex alveis monet poëta; sed quum non simpliciter dicat „vere“, quaeritur quomodo recte interpreteris quod additum legimus „suo“. Pronominibus possessivis eam inesse vim, ut significent id, quod secundum et propitium sit, quum per se credibile est, tum sat multis exemplis extra dubitationem ponitur*). Secunda autem quae eveniunt hominibus quum sint grata et jucunda, ne hanc quidem significationem videntur respuere illa pronomina. Itaque persuasit Servius Wagnero, nostro loco „vere suo“ positum esse pro „vere grato et aptissimo“, ut genuina vocabuli potestas prorsus oblite-

*) Non audiendus est Dietsch. Theolog. Verg. p. 9 seq., qui, veris falsa admiscens, duorum locorum Aen. II. 396 (vadimus inmixti Danais haud numine nostro) et XII. 187 (sin nostrum adnuerit nobis Victoria Martem) alteri conjectura infelicissima pessime consuluit, alterum interpretatus est in hunc modum: si mihi meam *virtutem* Victoria adnuerit. Puto equidem, Victoriam nihil posse adnuere nisi prosperum pugnae exitum; sua autem virtute posse etiam eum uti, cui infesta sit dea.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rata sit. Constituant alii, quibus finibus pronominum possessivorum usus circumscriptus sit: sed fac recte illos praecepisse, aut eo confugiendum adparet, ut otiosum pronomen dicas, quo facile carere possimus, aut eo, ut apibus inprimis ver gratum esse poëtam narrare statuas, quasi non aeque gratum sit omnibus animantibus. Reddamus igitur cum Vossio, qui Ameisium (Specileg. explic. Vergil. p. 37.) adsentientem habet, pronomini suam et veram vim, ut apium ver proprium intelligamus. Constat enim Romanos ineuntem Februarium veris initium habuisse, vel ut Plinius (N. H. 16. 25. 29 al.) accuratius definit, diem VI. a. Februar. Id.; apes autem non evagari nisi ante aequinoctium vernum docet Vossius auctore Hygino, idque quum ratum faciat Ameisius, quippe qui et se ipsum et alios rei apiariae peritos hunc morem observasse dicat, temerarius sit, qui velit fidem abrogare huic observationi. Hoc unum mireris, cur tot viri in aciem producantur, quum ipsius Vergilii auctoris satis in hac re ponderis habere vel potius plurimum valere videatur. Is quum Georg IV. 51 seq., haec tradat: „ubi pulsam hiemem Sol aureus egit sub terras caelumque aestiva luce reclusit, illae (sc. apes) continuo saltus silvasque peragrant *purpureosque metunt flores*“, non potest, opinor, significare *ver novum* „gelidus canis cum montibus umor liquitur et zephyro putris se glaeba resolvit“, (Georg I. 43 seq.) vel illud tempus, quo zephyri impellunt undas, „*ante novis rubeant quam prata coloribus*“ (Georg IV. 306; cf. etiam IV. 23 seq.). Atque hoc quidem scire sufficit. At, si demonstratum est apium exagmina non novo vere sed adulto evolare, quamquam singulae sub exitum ipsius Februarii pabuli quaerendi caussa exire perhibentur (v. Voss. ad v. 51), inde non sequitur continuo, ut proprium ver, diversum illud a nostro i. e. hominum vere habeant. Non alia est ovium et capellarum ratio; quae, quum et ipsae non educantur in pascua nisi pleno vere (Georg III. 300. 320), nusquam tamen narrantur *suo vere* mitti in prata. Verum si poeta uni tribuisset, quod complurium est, scilicet ut naturam apium „praecipua admiratione“ dignam ostenderet, num uno vocabulo contentus obiter rem tetigisset ejusque exornandae fortasse splendida oratione occasionem amisisset? Sed neque arripuit occasionem datam sibi post v. 50 et immemor hujus veris apes peragrare silvas saltusque ait post *hiemem*, ni fallor hominum. Denique etiam grammatica ratio habet, in quo offendas et haereas. Pronomen enim ut ad objectum, quod dicimus, referatur quum suadeat sententia, potest tamen etiam recte ad subjectum retrahi, ut ipsorum regum adolescentia significetur. Ad hanc ambiguitatem, ut mea quidem opinio fert, intolerabilem evitandam videtur Heynius proposuisse distinctionem post „reges“; cui tamen recte adversatur Wagnerus. Ad finem pervenimus. Nemodum protulit interpretationem, quae ab omnibus partibus placeret, neque potuit proferre, quia locus inquinatus est vitio. In optimo codice P. quum pro „suo“ exstet MVO, corruptae scripturae videntur inesse vestigia genuinae lectionis; offerimus igitur hanc medicinam, ut legendum censeamus: *More suo.*

Tertio loco leniore etiam manu auxilium feremus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Georg. III. 220 seq. describit poëta certamen taurorum, ortum illud propter feminam bovem; pergit sic:

224 nec mos bellantis una stabulare, set alter
victus abit, longeque ignotis exulat oris
multa gemens ignominiam plagasque superbi
victoris, tum quos amisit inultus amores;
et stabula aspectans regnis excessit avitis.
229 ergo omni cura viris exercet, q. s.

Victus taurus quum primum narretur abire, tum exulare, deinde excessisse, offensioni potest esse perfectum tempus post praesentia adhibitum. Heynii quidem jam dudum explosa est sententia, „excessit“ docte pro „excedit“ positum adnotantis, nam rectissime Wunderlichius perfectum „excessit“ sequentibus „ergo — exercet“ convenire docet, ita ut haec sit membrorum connexio: „postquam excessit, exercet“; neque adtinet exemplis probare et fulcire late patens dicendi genus. Sed quod in perfectum „excessit“ cadit, non item quadrat in praesentia „abit et exulat“; itaque in bonis editionibus gravius interpunctum est post „amores“. Attamen artissime cohaerere versus, primum videtur indicare particula „et“. Deinde, id quod maximi momenti est, non solum in eo, quod expulsus regnis exulat, caussa est, cur ad recuperandum imperium exerceat vires taurus, verum etiam in eo, quod ignominiam et turpitudinem ferre nequit et ulciscendi inimici studio excitatur atque inflammatur (v. 226 seq.). Inde consequens est, ut immerito v. 228 a proxime antecedentibus fortiore distinctione divulsus sit.

Jam vide imaginem, quam ante oculos posuit poëta. Taurus fingitur vv. 225—227 in exilio esse ibique acerbissimum dolorem haurire ex clade accepta, sed v. 228 ab hoc exule iterum trahimur ad eum, qui ad discedendum se parat; hoc pessime a poëta videtur institutum esse, neque quidquam proficimus sive tollimus interpunctionem post „amores“ sive retinemus.

His difficultatibus liberamur omnibus, si versus 225 finem facimus orationis finem et tres versus sequentes unius enunciati ambitu comprehendimus. Hac mutatione admissa id etiam lucramur, ut taurum habeamus non ignave gementem in exilio sed omnibus viribus vindictae futurae intentum.

Menda, quae indagavimus, librariorum incuriae videntur imputanda et errori. Jam nos convertimus ad graviora vulnera, quae non casu sed de industria inflicta sunt carmini. Quorum vulnerum duplex est genus; unum interpolatoris nescio cujus manum prodit, alterum ab ipsis Vergilii amicis videtur repetendum. Quod quo jure possit dici, supersedeo explanare ea de caussa, quia nolo recoquere rem eis notissimam, qui in his literis tabernaculum posuerunt. Hi non ignorabunt, nihil novi me molitum esse. Gaudebo si judicaverint memorem me fuisse illius Liviani: Nihil haustum ex vano velim, quo nimis inclinant ferme scribentium animi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Postquam Georgic. I. 160—175 poëta loquutus est de instrumentis*), quibus carere nequit agricola, transit ad alia his usus verbis:

170 Possum multa tibi veterum praecepta referre,
ni refugis tenuisque piget cognoscere curas.

Ac primum quidem docet, quomodo area conficienda sit (178—186), deinde ex quibus indiciis cognoscatur, utrum frumentorum ubertas et copia futura sit an non:

187 contemplator item, cum se nux plurima silvis
induet in florem e. q. s. — 192,

denique quae cura adhibenda sit seminibus (193—199). Is est sententiarum ordo in editionibus nostris. Sed saepius legenti mihi totum locum et iterum iterumque inter se comparanti singula subortae sunt dubitationes, num recte obtemperemus fontium nostrorum auctoritati et fidei. Praecepta enim, quae refert, si recte video, spectare vult poëta ad ea, *quae sunt hominum operariorum totaque pendent a manu effectrice;* quod nisi esset, quo jure loqueretur de *curis* i. e. *de rebus curandis,* quas pro magnitudine rerum supra tractatarum tenues videri posse suspicatur? Nucis florum autem hoc sensu nulla potest esse cura, nucis florum est h. l. *contemplatio.* Jam si jubemur *contemplari item* nucis flores, una re curanda tradita contentus ut ad alias etiam res animum advertamus poscere videtur poëta; sed versus 193—199 iterum pertinent ad curas illas. Itaque quae de recta areae parandae ratione, de seminibus et medicandis et eligendis praecepta traduntur, aptissime hoc loco data videntur, quibus cur interponantur versus, indicantes illi ex quo signo provideas futuri frumenti largam copiam aut summam inopiam, non patet. Remove igitur versus 187—192 a loco, quem injuria obtinent, et vide num rectius collocentur post v. 203 i. e. in fine hujus libri partis primae. Constat enim totus liber duabus partibus, quarum una in eo versatur, ut quae diligentia et cultura adhibenda sit agro monstretur; omnis autem agri cultura quum ne cogitari quidem possit sine instrumentis, de his etiam quaedam adnectuntur; finem faciunt praecepta, de quibus exposuimus. Illi versus, quos alieno loco male inculcatos esse judicavimus, sensim nos traducunt ad alteram partem, quae incipit a verbis:

Praeterea tam sunt arcturi sidera nobis
haedorumque dies *servandi* et lucidus anguis,

quae optime respondent illis „contemplator item". Denique cur tibi displiceat non habebit hic sententiarum ordo: praeter praecepta, quae retuli, noli negligere hoc indicium, ex quo conjecturam facere liceat de futura messe.

Pergimus ad alteram libri primi partem, cujus initium versum 204 modo diximus. Hortatur poëta agricolas, ut more nautarum observent sidera arcturi, haedorum, anguis i. e.

---

*) In censura editionum Wagneri, Kochii, Ladewigii (nov. ann. phil. et paedag. vol. 62 p. 34) Ameisius immerito reprehendere videtur Heynium, qui „agrestem supellectilem" dixerit „instrumenta". Eadem voce etiam Servius utitur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

omnium siderum ortus et occasus, nam „generaliter haec signa posita esse“ concedes Servio (204—207); posse enim inde certo sciri, quo anni tempore arandum et serendum sit (208—230); atque hanc esse causam, cur sol per signiferum orbem s. zodiacum decurrat (231—251).

Sequuntur haec:

252 Hinc tempestates dubio praediscere caelo
possumus, hinc messisque diem tempusque serendi,
et quando infidum remis impellere marmor
conveniat, quando armatas deducere classis,
aut tempestivam silvis evertere pinum;
257 nec frustra signorum obitus speculamur et ortus
temporibusque parem diversis quattuor annum.

Duo sunt, quae in quaestionem vocanda videntur. Primum duo versus extremi 257 seq. quid sibi eo loco velint, ubi vulgo leguntur, quum nullo modo possit perspici, laudo Ribbeckium, qui eos ante v. 252 posuit, ut aptus sententiarum nexus efficeretur hic: nec frustra speculamur signorum obitus et ortus, *nam* hinc possumus praediscere e. q. s. Verum enim vero eorum, quae antecedunt, ea est ratio, ut rem confectam esse confidenter negem. Quod num sana caussa adducti negemus ut intelligatur, iterum percurramus versus 204 seqq. Suadet igitur poëta agricolis, ut nautas imitati siderum caelestium certos et constantes motus animadvertant et notent (204—207), quippe qui significent, quando arare et sementem facere conducat (208 seqq.); statuit idem *idcirco* i. e. nullam aliam ob caussam, quam ut arationis et sationis tempus cognoscatur, solem „per duodena mundi astra regere orbem“ (v. 231 seq.). Jam velim scire, quorsum ejus orationem spectare existimes, si recte sic procedat:

„*nec frustra* signorum obitus speculamur et ortus
temporibusque parem diversis quattuor annum“?

Fac eum habuisse gravissimam caussam, quam non habuit, cur rem narratam vellet in memoriam revocare, at orationem ita instituere, ut non idem monere — tum debebat dicere „non frustra igitur“ *) — sed aliquid novi addere voluisse videatur, certe insipientis est.

Orationem igitur esse perversam, repetitionem ejusdem sententiae intolerabilem, quum nullam interpretandi artem evincere posse confidam ut negetur, quid reliqui est, quam exstirpare versus 257 et 258, quos et bonos per se esse concedo et Vergilio adscribendos probabile est.

*) Optime saepe eandem sententiam bis poni quis neget? Sed quum tota haec quaestio de natura ac vi repetitionum commodiori loco reservanda sit, nunc in transcursu monendum est, non raro repetitis aut iisdem aut similibus verbis regredi orationem ad filum disputationis interruptum. Cf. G. I. 43 seq. „vere novo... depresso incipiat mihi taurus aratro ingemere“... v. 63 seq. *ergo age*, terrae pingue solum primis extemplo a mensibus anni fortes invertant tauri... Paullo diversum repetitionis genus, quod est G. I. 311 seq. et 335, ideo tangendum duco, quia versum 335 nondum recte explicatum esse video. Nihil autem excitabis, quod ad nostri loci similitudinem accedat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Attamen ne nunc quidem habemus orationem junctam et cohaerentem. Videndum est igitur de versibus 252—256. Particulam „hinc“ v. 252 referendam esse ad v. 231 seq. „idcirco certis dimensum partibus orbem Per duodena regit mundi sol aureus astra“ interpretibus placet omnibus, a quibus dissentire difficile est; vellem tamen non tam longo undeviginti versuum intervallo sejunctas esse res artissimo sententiae vinculo conjunctas. Tum etiam „tempestates“, quas „dubio praediscere caelo possumus“, quo sensu a poëta dictae sint, tantum non omnes inter se consentiunt. Heynium quidem si audis, loquitur poëta de quattuor anni partibus; conjunctam tamen mutati aeris ac caeli notionem esse ex adjuncto patere arbitratur i. e. ex v. 258, quem expellendum esse e contextu conati sumus probare. Sed ab Heynio qui stet praeter Forbigerum scio neminem; adeo videtur nihil obscuri inesse verbis. Nihilo minus licebit mirari, quomodo id effugere potuerit interpretes vel potius cur respuerint et aspernati sint, quo nihil validius ad Heynianam opinionem refellendam potest inveniri. Nam quum in hac altera libri parte id agat poëta, ut exponat, quantum utilitatis ex diligenti siderum observatione redundet agricolis, quippe quae et indicent, quando quaeque opera peragenda sint (208—310) et declarent, *quae tempestas* eventura sit (311—464): vix infitiabere, Vergilium voluisse hoc loco *proponere*, quae carmine persecuturus esset. Neque vereor, ne adversari mihi credas, quod messis etiam et navigationis et lignationis mentio injecta sit, in sequentibus autem prorsus praetermiserit poëta has res. Nempe tangere satis habuit, de quibus verba facere alienum a re, partim etiam ineptum fuisset. Quae si recte disputata sunt, non solum Heynium refutatum esse evicimus sed longe gravius effecimus. Videtur enim illud ipsum *proponendi* verbum, quo usi sumus, malam illorum versuum, de quibus quaerimus, collocationem innuere. Neque injuria ita videtur. Quis quaeso hanc ordinis rationem ferendam censebit, qua quis primum ut siderum observationem instituamus suadet, tum multa subjungit exempla, ex quibus tempus sementis faciendae a sideribus aptum esse necessario colligas, tandem id ponit, quod dudum intelleximus, atque ita ponit, quasi illa prorsus absint ex quibus intelleximus. Itaque versus 252—256 transponendos et post v. 207 legendos esse putamus, ut priusquam v. 208 ad ea accedat poëta quae solis agricolis sunt usui, in universum moneat, sidera observanda esse, quum inde possint tempestates praedisci e. q. s.

Jam omnes offensiones remotae sunt, omnia plana, connexa, nihil videtur obstare quominus properemus ad versus proxime sequentes. Sed ecce perincommode accidit, ut iterum retardetur cursus, iterumque cogamur subsistere, nam praeter exspectationem legimus haec:

259 frigidus agricolam siquando continet imber,
multa foret quae mox caelo properanda sereno
maturare datur.

Sentimus ad res nos progressos esse, ad quas via haudquaquam munita est; subito atque improviso trahimur et rapimur ad negotia, quae pluviis diebus (259—267), quae festis diebus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(268—275), quae certis quibusdam cujusque mensis diebus (276—286), quae nocte (287 seqq.) agricolis sunt transigenda. Quod Ribbeckius adnotat, „ante v. 259 quaedam in hanc sententiam desiderari: sunt enim suis quaeque temporibus opera adsignata, etiam eis, quae nullum omnino negotium videntur admittere“, — id versuum ordine quem commendavimus probato non esse immutandum nisi paullulum adparet. Diu cogitanti mihi occurrebat, posse huic quoque loco illa medicina salutem dari, quam saepius in auxilium vocavimus. Moleste ferebam, quod luna non statim post solem et sidera commemorata esset. Credebam genuinum ordinem indicari vocabulis *multa* v. 260, *quaedam* 268, *multa adeo* 287. Sed quidquid tentabam, recursabant eaedem curae, et tandem intelligebam frustra torqueri ingenium. Ne nunc quidem mihi constat, quae medela loco sit adhibenda, quamquam, quin manu emendatrice egeat, nullus dubito. Lacunae autem signum qui ponet, meum non feret adsensum.

Georg. lib. II. exorditur ab invocatione Bacchi; tum de variis arborum procreandarum modis universe disputat poëta, deinde adhortatur agricolas, ut uniuscujusque generis plantarum discant cultus, post a Maecenate petit, ut adsit sibique faveat in carmine pangendo, his verbis:

tuque ades inceptumque una decurre laborem,
40 o decus, o famae merito pars maxima nostrae,
Maecenas, pelagoque volans da vela patenti.
non ego cuncta meis amplecti versibus opto,
non, mihi si linguae centum sint oraque centum,
ferrea vox. ades et primi lege litoris oram;
45 in manibus terrae: non hic te carmine ficto
atque per ambages et longa exorsa tenebo.

Laudi datum est Vergilio ab interpretibus, quod Maecenatem, privatum hominem, noluerit Baccho subjungere, sed ei loco reservare ejus invocationem, ubi de arboribus non divina vi natis sed humano labore cultis sermo esset; Augustum tamen, quippe qui jam in his terris dei partes agere visus esset, merito receptum esse in deorum societatem (Georg. I. in.) adfirmant. Esto; nolo vitio vertere poëtae, quod illi magnis laudibus extulerunt. Quamquam qui facillime a se impetrare potuit, ut Augustum non solum una cum deis veneraretur atque imploraret, sed etiam in eorum numero collocaret ita, ut primum locum obtinere videretur, is hercle non habet, cur Maecenatem ne in invocatione quidem non deorum sed Bacchi socium esse velit; quamquam qui nimis anxie suum cuique honorem studuit habere, contra morem consuetudinemque facere putandus est, quum non gravaretur primum quodam modo ad se invitare agricolas, tum Maecenatem. Residet etiam scrupulus, quo jure sese „longis exordiis“ abstinere velle possit polliceri is, quem rei tractandae initia posuisse vides. Attamen quum praesto tibi sint, ni fallor, argumenta, quibus vulgarem ordinem tueare, cavendum esse puto,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ne quid temere praeter necessitatem mutetur; sed carminis splendorem et nitorem macula me adspersurum aut poëtae religionis laudem detracturum esse nego, si versus 39—46 statim post v. 8 legendos contenderem. Monuimus haec, ut interpretum inconstantiam notaremus. Eidem, qui, quam severa religionis lege obstrictus teneretur Vergilius, detexisse et aperuisse sibi visi sunt, intactos reliquerunt eos hujus libri versus, quorum mihi venit in mentem, quotiescunque deferor in nostrum locum. Legimus enim v. 454 seqq. haec:

quid memorandum aeque Baccheia dona tulerunt?
Bacchus et ad culpam causas dedit; ille furentis
Centauros leto domuit, Rhoecumque Pholumque
et magno Hylaeum Lapithis cratere minantem.

En insigne exemplum pietatis! An vero oblitus sui est deposuitque repente naturam? Sed ut „tantum nefas exciderit ore“, tu rudem esse hominem et impolitum infitias ibis, qui non satis habet dei beneficia extenuare verbis in eumque invehi acerbe, sed ipsum patrem Lenaeum advolare jubet, ut praesens culpetur et castigetur? Suspicor improvisum hoc accidisse deo inopinatumque, praesertim quum paucis versibus ante (v. 393) se praedicandum carminibusque celebrandum esse audisset, et vehementer dubito, num futurum sit, ut iratus libationibus placetur auremque praebeat invocationibus v. 529. Praeterea versus illos dicerem frigere cum maxime et languere, nisi in hoc meo sensu viderem non inesse vim persuadendi; facilius autem dabis, versibus servatis aliquid incommodi habere laudes vitae rusticae ideoque male cohaerere orationem, versibus sublatis nihil desiderari. Itaque in paucissimos referendi sunt, qui certissima interpolationis indicia prae se ferunt, et ita expungendi, ut ne pro Vergilianis quidem vendantur posthac.

Sed redeundum est, unde defleximus. Vv. 39—46 sive suam habere sedem putas, ubi nunc leguntur, sive aptius inseri post v. 8, velim exoriatur tandem aliquando, qui tenebras disjiciat et dissipet, quibus etiam nunc locus circumfunditur et occultatur. Interim nos nostram viam persequamur et nostro Marte, ut ajunt, pugnemus.

Nautam vel, ut accuratius dicam, dominum navis se fingere poëtam, qui Maecenatem secum cursum conficere sanequam cupiat, manifestum est. Sed primum quomodo recte interpretemur „pelagus patens“ non item constat. „Carminis facilitatem“ intelligi vult Servius, non probatus ille recentioribus, qui „ingentem canendi materiam“ significari illa metaphora arbitrantur. Ne hanc quidem explicationem ab omnibus partibus satisfacere, evincere studet Tittlerus (Progr. Brig. 1857 p. 19.). Rem enim satis spinosam quum sibi sumpsisset tractandam poëta viaque lubrica institisset, qua sine casu aliquo vix posset ingredi, mare scopulosum et periculosum, non patens, hic in comparationem vocandum fuisse videtur opinari Tittlerus. Quod quum factum non esset, longe aliam iniit interpretandi viam, de qua infra videbimus. Viri acutissimi ratiocinationem non probo equidem. Nam quum „pelagus patens“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nihil sit nisi mare altum s. medium, videtur etiam p. p. posse esse periculosum, et vereor ne suo se gladio jugulaverit, quum adferat Horatiana verba: in patenti *prensus* Aegaeo. Servium redargui versibus 44 et 45, idem recte adnotavit, sed quid quantumque valeant hi versus ad totum locum probe intelligendum, neque Tittlerus perspexit neque quisquam eorum, quorum inspicere licuit commentarios. Nam quum primo obtutu sese offerret ultro nullique posset esse obscurum, opponi inter se pelagus patens et litoris oram, his verbis solis intenti commentatores neglexerunt vim et potestatem eorum, quae addita sunt „in manibus terrae" sc. sint. Hic igitur amor, hoc desiderium. Haec verba non possunt esse nisi ejus, qui animum despondet terra paullo longius recedente, quia difficillima artis gubernandae arte se destitutum esse sentit aut certe diffidit scientia et experientia; qui ne tum quidem desinit metuere et sibi et navi, quum scientissimo utitur gubernatore. Itaque omnis dubitatio abjicienda est, neque quidquam aliud e verbis poëtae eruere poteris nisi quod plane contrarium sit Servianae explicationi. Adparet non facilitatem, non copiam et abundantiam, sed magnitudinem et difficultatem rerum respici, quarum onus et molem qui suscipere non audet, is ad minora et tenuiora adplicat animum, ei est „in tenui labor" *). Quid igitur? Licetne jactare omnia esse dilucida, perspicua? Vereor, ne brevi futurum sit ut egregie nos falsos esse intelligamus.

Audi enim iterum, quae media sunt inter versus, de quibus modo exposuimus:

non ego cuncta meis amplecti versibus opto,
non, mihi si centum linguae sint oraque centum,
ferrea vox.

Nonne omnis opera perdita videtur omneque perversum disputationis institutae fundamentum? Ubi ille nauta timidus? Elapsus est e manibus aliumque tenemus longe diversum. Quum conjunctos legeremus versus, qui sese non excipiunt in contextu, non potuerunt recte necti neque coalescere ad certam imaginem exprimendam nisi timoris significatione addita, quam non temere interposuisse nobis visi sumus sed ex ipsis verbis quodam modo hausisse. At, ut diximus, fefellit nos ratio. Nihil dicit poëta nisi, se *nolle* extendere finem et modum carminis, vel tralate, „altum petere"; num pericula horreat an non, num par sit tantis conatibus an non, in medio relinquit. Itaque, — nam particula „sed", quamquam mea sententia callidius quam verius mente suppleta est, nunc non intercedo, quo minus addatur, — talis igitur exit oratio: „da vela in pelagus patens, Maecenas, sed nolo navigare in altum, itaque lege oram!" Sed paene me piget multorum verborum; abeamus in interpretum partes: ecquid sanius pro-

*) Ameisius, quem summa cum laude in his Georgicon libris explicandis versatum esse, notum est, l. l. ad nostrum locum adscribit haec: „Videtur sibi poëta nauta esse, qui in pelagus patens navigaturus est, sed *pericula timens* (i. e. cogitatione *largissimae* materiae pressus) orat Maecenatem, ut tantummodo litus legat et ut maneant in manibus terrae", quasi vero, quod largum est, idem necesse sit periculosum et timendum esse. Idem justo aequius de Ladewigii contorta explicatione judicavit. „Pelago patenti" dativos esse non ablativos, vis opus est dicere.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cedit sententia, si pro illis „nolo navigare“ substituimus haec: „timeo navigare“? Nae ille est homo inconstans, qui quod fidenter modo suscipere ausus est, illico timide abjicit et reformidat; nae ille dissimillimus Vergilii, quem nullum temporis punctum fugisse non ignoramus, quid ferre humeri valerent, quem certos sibi fines terminosque constituisse animoque circumscripsisse munus pensumque, ut alia omittam, docet primus Georgicon liber. An eum malis balbutire, utpote cui in animo fuerit dicere: „Orarem te, Maecenas, ut vela meae navis in altum panderes, nisi mihi conscius essem, id non posse fieri culpa ingenii mei. Verum ut hoc non sit, ut maxima quaeque me posse assequi confidam, tamen habeo sat multas caussas, cur me ipse frenem et contineam“?

Restat, ut veterum aliquot interpretum apud Servium perstringamus explicationem, recoctam illam novissimis temporibus a Tittlero. Illi verba „pelagoque volans da vela patenti“ de solo Maecenate dicta putant, quem occupatum esse fingunt in carmine aliquo condendo. Aegre adducor, ut condonem Vergilio adulationem, quae inesse verbis videtur, sed pungit me scrupulus, quomodo Maecenas altum petens possit adesse Vergilio litus radenti; quem quidem scrupulum noli ita evelli putare, ut metaphorice poëtam loquutum esse dicas.

Jam licet properare ad conclusionem. Quocunque te vertis, inepta est oratio, nam contraria et repugnantia inter se sunt consarcinata. Resecemus igitur, quae, conflata ex Aen. XII. 269 seq. et VI. 625 seq., intrusa sunt ab interpolatore, et mediis eliminatis consociemus haec:

Maecenas, ades et primi lege litoris oram (41. 44).

Georg. III. 95 seq. equum admissarium, simulac morbo debilitatus sit aut annis confectus, jubet poëta abdi domo, quamvis fervidus fuerit ante nobilique sit ortus genere *), hanc addens caussam:

97 frigidus in Venerem senior, frustraque laborem
ingratum trahit, et siquando ad proelia ventumst,
ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis
incassum furit.

V. 98 „ad proelia“ solebamus „Veneris“ cogitatione addere, totumque locum ita comparatum esse putare, vix ut data esset aberrandi a vero facultas. Quod num recte statuissemus, magnam movit nuper dubitationem Ameisius, qui relicta explicatione vulgari novam commendat his verbis (l. l. p. 30):

„Desideratur jam per se illa res, quam si poëta in ejusmodi nexu non commemorasset, jure mirareris, nimirum *proelia in pascuis*, ubi occasione oblata („*si quando* ad proelia ven-

*) Versus 120—122 inserendos esse post v. 96 vidit Tittlerus l. l. p. 8 seq. Jam exemta est omnis dubitatio, quomodo accipiamus verba „nec turpi ignosce senectae“, quae Hofman Peerlkamp ad Hor. carm. I. 31. 19 etiam in alt. ed. perperam explanavit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tum est") animadvertere licet, quam fortiter, imo quam furenter acer et fervidus admissarius defendat suas equas ab omni lascivia ac contrectatione aliorum. Quod qui animadvertit, simul cognitum habet, quam „*incassum furat*", i. e. furere quidem conetur, verum non valeat equus *senior*, quum per Venerem non amplius stimuletur". At vellem docuisset Ameisius, qualis esset sive qua in re cerneretur hic furor, qui nullus est furor, quum non valeat furere; aut qualia essent illa proelia, quae nulla sunt proelia, quum per Venerem non amplius stimuletur ad proelia in pascuis equus senior. Conatus autem notionem prorsus alienam esse ab hoc loco, clarissime ostendit quae subjicitur comparatio desumta a consuetudine stipularum in agris comburendarum; non habent illi ignes satis virium, ut consumant res solidas, sed sunt longe lateque diffusi et quasi furentes feruntur per agros; neque aliter furere quidem perhibetur equus senior, sed *sine viribus* i. e. incassum. In confirmanda igitur et stabilienda explicatione sua quum non bene rem gessisse videatur A., tamen ex iis, quae ad vulgarem interpretandi rationem labefactandam exposuit, unum ita est vere animadversum scienterque, ut pervicacissimi adversarii adprobationem laturum esse sperem. Nam „illa sententia", inquit „quam in verbis *ad proelia ventum est* inesse volunt, jam satis et quidem eleganter indicata est verbis praecedentibus, bis autem idem sine ulla caussa dici abhorret ab Vergilii ratione poëtica". Haec, ut dixi, prudenter observata, quum non liceat suffragari Ameisio novam explicandi viam ineunti, faciunt, ut interpolationis oriatur suspicio. Itaque, donec meliora edoctus ero, locus persanatus mihi videbitur expulsis his: „senior, frustraque laborem ingratum trahit, et"; nihil enim est quod reprehendas in hac sententia: frigidus (quidem est) in Venerem, (sed) si (tamen) aliquando ad proelia ventum est, incassum furit.

Memoraverat poëta Georg. IV. 178 seqq. inter apes munera divisa esse, aetate provectiores intra domesticos parietes summo studio incumbere in opera sibi imposita perpetranda, juniores evolare in agros floribusque depastis multa nocte redire fessas in alvearia. Qui quum pergat v. 184 sic:

omnibus una quies operum, labor omnibus unus:

nihil cunctatus adfirmabis „omnibus" valere et de „grandaevis" et de „minoribus"; utrarumque enim laborem, quia spectet ad unum finem, commode haberi laborem *unum*. Quo concesso mirationem faciunt quae sequuntur

mane ruunt portis; nusquam mora; rursus easdem
vesper ubi e pastu tandem decedere campis
admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant;
fit sonitus mussantque oras et limina circum.
post ubi jam thalamis se composuere, siletur
in noctem, . . .

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Intelligendas esse apes „*omnes*“ solis luce clarius adseverabis: tamen quum memineris, grandaevos domi se tenere, in errorem te inductum esse senties. Jam illud ipsum vocabulum „juniores“, quod ut suppleamus sententia flagitat Vossiusque addidit in interpretatione vernacula, quum nullo modo possit mente adjici, unum restat, ut v. 184 „omnibus“ non, quemadmodum posuimus, et ad grandaevos et ad minores referamus, sed quantumvis inviti de solis junioribus dictum putemus. Quod si statuitur, dic sodes, cur seniorum apum v. 184 nulla mentio fiat in ea re, quae communis est omnium? — Jam attende animum ad haec: Postquam v. 180 apes juniores *multa nocte* suco hausto ex floribus domum reverti narratae sunt, eaedem dicuntur requiescere v. 184, quippe quae sint defatigatae adsiduo labore. Rem esse confectam et absolutam opinaris neque subesse quod adnectatur. Falleris; quas modo quieti se dedisse audivisti, iis demitur dulcis quies, iterum inducuntur laborantes, iterum decedentes campis, sed *vespere* s. *sub noctem*, iterum tecta petentes, iterum corpora curantes. Sed aut plane singularem et mirificam corporis curationem adhibeant apes necesse est, aut non ita multum dandum verbis poëtae, nam versu subsequenti mussant circum portas alvei; tum se componunt thalamis otioque fruuntur. Quanta rerum confusio! At enim ab hac ipsa confusione, in qua nihil fere est, quod non bis commemoretur inaniter, repetenda est simplicis et nativi sententiarum cursus restituendi necessitas. Adparet autem duas descriptiones ad eandem rem pertinentes confluxisse et conglutinatas esse altera in alteram inscite inserta. Tollendi igitur sunt versus 184—187 verbaque a medio versu 181 usque ad exeuntem 183 secernenda parenthesis signo a ceteris. Suspicari liceat, poëtam sibi ipsum displicuisse et in margine notasse, quae deesse viderentur et ad imaginem vividiorem reddendam facere, eo consilio, ut posterioribus curis in contextum reciperentur aliis mutatis aut resectis. Nam, ut libere profitear quod sentio, quos eliminandos duco quattuor versus, hi sunt ita venusti et apti alioquin, ut expunctos paene doleas.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf